

# REVERENDO PATRE DOMINO

IOHANNNE ECKIO THEOLOGO PROTONOTARIO APO

Stolico Inquirente Vicecancellario Dignissimo praeside, & M. Gregorio Vernborgero Theologiae audito-  
re Respondente, Subscriptae assertiones in Schola Theologica disputabuntur die Februarij.



## QVESTIO.

Trum homo excidens per peccatum a gratia Baptismali, iterum per penitentiam tanq̄ secundam tabulam reparatur, & ad gra-  
tiam & comunione ecclesiae restituitur.

### CONCLUSIO I.

Rem necessariam esse in lapsis penitentiam, satis indicat quod praecursor domini, & ipse saluator noster Christus ac post do-  
mini ascensionem Petrus suas praedicationes a penitentia agenda auspiciati sunt.

### COROLLARIUM.

Seductores sunt & animicidae qui solam fidem asserunt Iustificare, Nam sic populus penitentiam, & bona opera negligit  
tanq̄ superuacanea & non necessaria.

### CONCLUSIO II.

Initium huius penitentiae, est cordis compunctio, quae timore concipitur Augustino teste, dum iussu Iohelis corda scindis  
mus, & in cubilibus cordis compungimur.

### CONCLUSIO III.

Ordinur penitentiam istam etiam a seruilis timore ( qui bonus est August. teste ) recogitando grauitatem peccatorum &  
fedatatem, amissionem aeternae uitae, & damnnum aeterni interitus, Vsq̄ quo pater occurrit filio prodigo redeunti, & tam filiali  
ter patrem timentis.

### COROLLA I.

Quare Luther negans hoc modo parari poenitentiam scripturis & sanctis patribus manifeste contradicit, & Viam peniten-  
tiae impedit.

### COROLLA II.

Ergo falsum, temerarium, & impium est, Lutheri iudicium, uerba Augustini damnantis, Bonus est timor seruilis & utilis.

### COROLLA III.

Hinc noscitur Lutheri blasphemia quum dixit, si Ioannes Baptista docuisset timorem esse initium penitentiae non ideo se  
qui penitentiam a timore incipere.

### COROLLA IIII.

Liquet cur populus sectariorum est insolens, & dissolutus, & negligens bonorum operum, quia seductores eorum non do-  
cent eos timorem Dei quem impie dicunt facere magis peccatorem.

### CONCLUSIO IIII.

Poenitentia interna efficax, necessario confessionem sacerdoti faciendam imperat quam Christus post resurrectionem in die  
paschae instituit & S. Iacobus promulgauit.

### CONCLUSIO V.

Confessio quae fit in aurem Sacerdotis in ecclesia Apostolorum, & Martyrum ac deinceps obseruata fuit, quam & ho-  
die omnes Catholici sub poena aeterna damnationis facere debent.

### CONCLUSIO VI.

In confessione Sacramentali omnia peccata mortalia & occulta enumeranda sunt, quae memoriam non subterfugiunt, Sic  
monstrat ratio, Ecclesia tenet, & sancti docuerunt.

### COROLLA.

Sequitur quomodo Cainitae sicut canes uenatici diaboli, tantam multitudinem populi ad inferna mittunt, carnali securitas  
te eos a Confessione liberantes, at Deus non irridetur.

### COROLLA.

Hic uelut in speculo intueantur Layci suorum praedicatorum malitiam, qui cum a ueritate coacti fateantur enumerationem  
peccatorum esse utilem, excitantem ad penitentiam & magis nos admonentem de ira Dei, Ipsi tamen non faciunt, sed alligant  
eis graua onera, & digito non mouent, Sicut Christus de phariseis dixit.

### COROLLA.

Ex hoc etiã Layci deberet agnoscere falsitatẽ Hereticorũ, q̄ nõ solũ scripturis, & Ecclesiae patribus, sed sibi ipsis cõtradicit.

## LUTHER.

- 1 Nulliprofus remittit Deus culpam, quin eum subiiciat Sacerdoti suo Vicario.
- 2 Deus non remittit culpam, nisi prior sit remissio Sacerdotis, ex claro textu, Quaecumq̄ ligaueris &c.
- 3 Quaecumq̄ solueris) per hoc Deus uult homines subiici Sacerdoti, Q̄ non fieret nisi Deũ approbare facta sacerdotis sciremus.
- 4 Confessio occulta quae modo fit in ecclesia est necessaria, & non uellet eam non esse.

Iam uult sufficere confessionem mentalem, sine uocali quam respuit.

### CONCLUSIO VII.

Sacramentum penitentiae re ipsa, in Sacerdotis auctoritatem habentis absolutione consistit cum potestate clauium sibi a  
Christo data, peccata cõfitentis remittit, & cum comunione ecclesiae restituit.

### COROLLA.

Vere dixerunt Lutherani sicut Cayphas absolutionem suscipiendam ut uocem Dei, & mandatum Dei, & gratias agendas  
Deo, qui talem potestatem dedit hominibus quae est consolatio unica peccatorum & conscientiarum.

### COROLLA.

Sed impie docuit Bucer priuatam absolutionem nil efficere & suorum Lutheranorum sententiam improbauit & poenitens  
tiam Sacramentum esse negauit.

Sed expendat Lutherani quales habeant Choritas qui hanc uocem Dei non suscipiunt gratias Deo non agunt nec conso-  
lationis huiusmodi faciunt se participes, Sed p̄ quinq̄, decẽ, uiginti annos, indurati Pharaones sine cõfessione sicut bruta incedunt.

Responsio affirmatiua liquet ex septima conclusione.

## M. GEORGIVS FLASCHIVS MONACHVS

Benedictinus Lorchenis, amicitiae ergo, Pangebatur.

Vt non Romulea gens est illustrior ulla  
(Vt pote quae toto regnat in orbe caput)  
Sic non (extremos etiam si uiseris Indos)  
Continget studijs plus agitata bonis  
Incessu, cursu, saltu, luctamine, iactu  
Vndis, ethre, solo, nando, pedestris, eques  
Strenuus at dum sic uernantia corpora Tyro  
Exercet, certam sternit ad astra uiam

Hac uidet Augustos uictor ratione triumphos  
Et sua gemmiferum frons diadema gerit  
Quod si rectus ad eximios sit callis honores  
Hic, exercitium scilicet assiduum  
Recte Vernborgero facis, certamine quamuis  
Ancipiti, uires experiendo tuas  
Hac ratione breui magnos fortitus honores  
Ad patrios multa laude uolabis agros

Sic Electoris regalem Principis aulam  
Ornabis foelix doctiloquusq̄; redux  
Eya fortis in Herculeam descende palestram  
Nec pigeat doctas conseruisse manus  
ECKIVS ut coepti fuit obseruabilis autor  
Sic aderit Theseus armipotente manu  
Dogmata qui Christi nunq̄ defendere cessat  
Qui puram docto protegit ore fidem.

